

**Dissertatio medica inauguralis, de scarlatina ... / eruditorum examini
subjicit Carolus Cordeaux.**

Contributors

Cordeaux, Charles.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ru67dw5v>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



To James B.
with the
of the

DISSERTATION

INAUGURAL

II

SCARLA

To James Woodford Esq.

With the sincere regards
of the Author

(7.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

Handwritten notes at the top of the page, including "Dissertation" and "Medical".

SCARLATINA

BY GEORGE HARRIS, M.D.
A DISSERTATION ON THE

INFLUENCE OF

THE SCARLATINA

SCARLATINA

ON THE

Handwritten notes at the bottom of the page, including "Dissertation" and "Medical".

Handwritten notes at the bottom of the page, including "Dissertation" and "Medical".

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
CAROLUS CORDEAUX,
ANGLUS ;

It is truly singular, that the slightest of all eruptive fevers,
and the most violent, the most fatal disease known in this
country, should rank together and spring from the same origin.

WILLAN.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUREA

DE

SCARLATINA

DE

ANNUNTI SUMMO NUMERO

ET AGGREGATIONE REVERENDI ACADEMIAE

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE KENNEDIANAE PRÆFECTI

RECTORIS

AMPLISSIMÆ FACULTATIS ACADEMIAE CONDIGNO ET

HONORIFICENTIAE FACULTATIS MEDICINÆ DECRETIS

Pro Doctoris

CONDIGNO ET AGGREGATIONE REVERENDI ACADEMIAE

ET AGGREGATIONE REVERENDI ACADEMIAE

ACADEMIAE KENNEDIANAE PRÆFECTI

CAROLUS CORDEAUX

AGGREGATIONIS

ACADEMIAE KENNEDIANAE

It is truly singular, that the symptoms of all eruptive fevers
and the most violent, the most fatal disease known in this
country, should have together and spring from the same origin.
WILLIAM

Robertson, M.D. and Surgeon General

EDINBURGH

PRINTED BY JAMES WILSON

MDCCCXXXII

JOANNI WILLIAMSON,

PATRI CARISSIMO,

AMICOQUE OPTIMO,

RICARDO CORDEAUX,

ARMIGERO,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA CUM PIETATE

CONSECRAT

FILIUS.

WILLIAM NIELSEN

PATRI CARISIMO

AMICIS MEIS

RICARDO CORDEAUX

WILLIAM NIELSEN

WILLIAM NIELSEN

WILLIAM NIELSEN

WILLIAM NIELSEN

WILLIAM NIELSEN

WILLIAM NIELSEN

WILLIAM NIELSEN

DISSERTATIO MEDICA
JOANNI WILLIAMSON,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

&c. &c. &c.

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI HAUD IMMEMORIS

BENEFICIORUM IN EUM COLLATORUM,

EXIGUO PRO TESTIMONIO

OFFERT

SUMMA CUM OBSERVANTIA

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA.

AUCTORE CAROLO CORDEAUX.

PRÆFANDA.

E QUO, Scarlatina in Britannia primum apparuit, eadem, sese, nunc sub febris lenis, nunc morbi epidemici valdè maligni, formâ, iterum iterumque ostendit; et hei! Generi humano, quacunque grassata sit, ea, stragem magnam saepiùs fecit. Hicce morbus autem sese nuperrimè, longè lateque diffudit, et nunc quum Universae factus sit Europae communis, attentionem summam, cujusque juvenis Medici suam scientiam promovere ambientis, nec non

diros dolores, quibus homines laborant, levandi anxii, jure optimo vindicat.

Scriptores Medici, necne, Scarlatina, generis diversi a Cynanche malignâ, sit morbus, inter sese multum disputârunt. HUXHAM, FOTHERGILL, WITHERING, aliisque, distinctos esse morbos, originem suam e causis penitùs diversis trahentes, persuadetur. Nullum enim sit dubium, quin Scarlatina homines, faucibus integris, adoriri possit. SYDENHAMUS celeb. mali mentionem facit, quod, Londini, annis inter 1660 et 1670, labentibus, grassatum est, tum eruptione rubrâ, tum febris signis sese ostendentibus, sed gutture minimè affecto, et quod aspectum adeo mitem induit, ut idem, morbum nomine tantùm, non re, judicârit. De GORTER quoque hancce febrem cutaneam, formâ adeo leni gaudentem, nec non sponte suâ sine faucibus inflammatis desinentem, perspexit. CULLENUS Noster, ut crederet, Scarlatinam, cum faucibus ulcerosis ex necessitudine conjunctam, haud existere, fuit inductus. Nihilominùs Medicinam quadraginta annos fa-

ciens, eandem sexties aut septies in Scotia epidemice grassantem, vidit, atque nos certiores, fere omnes eâ laborantes, faucium ulceribus affectos esse, facit.

E rebus autem multis et ritè et arctè indagatis, nunc dierum omnibus in promptu est, has duas varietates eodem tempore praevalere. *Hac de re*, HEBERDEN, Cynanche Maligna prius, luculenter tractata; ità, et apte, et eleganter loquitur: “ Ex iis quae de febre rubra et angina memorata sunt, longè vero simillimum videtur unum eum denique morbum hoc vel illo nomine appellatum fuisse, prout indicia alterutra gravius incubuerunt, de quo etiam id nos facit certiores, quod ambo unà semper fiunt vulgares, atque haec procul dubio vincet sententia, modo illud concedatur, cujus, ni fallor ipse testis fui, nimirum inter plures pueros et puellas, qui, ut saepe fit, in unis aedibus simul correpti sint, hos febrem Rubram illos vere anginam fuisse expertos.” Quinetiam Doctores CURRIE, ARMSTRONG, nec non omnes fere medici hodierni has affectiones prae-

cipue eodem ex contagio peculiari originem ducere, consentiunt affirmantes. Neque dubitandum est, quin, modus quo hocce virus in corporis humani compaginem agat, tam de coelo, et anni tempestate, quam de aegri habitu atque temperamento, plurimum pendeat. Rationem ita tantum, pro variis formis, quas morbi plurimi sibi assumunt, qui eodem ex contagio peculiari, originem procul dubio trahunt, nostrum est reddere.

Scarlatina in species tres nunc dierum plerumque dividitur, viz. Simplicem, Anginosam, et Malignam, atque singularum signa describere, qualia sub conspectum venerunt, accingam.

INDICIA.

Scarlatina Simplex aegrum ferè iisdem signis ac alia Exanthemata, adoritur. Sunt, inquietudo, animus demissus et lassitudo; nec non vultûs pallor, ventriculi molestia, nonnunquam et vomitus. Huc adduntur dolores maximi et capitis et dorsi. Paucis in horis horrores et rigores cum calore cutem rubefaciente alternantes superveniunt. Nonnunquam evenit, ut plurima supradicta, quae calor febrilis ubique corporis diffusus excipit, ex uno usque aut ad duos aut ad tres dies perstent. Cutis tunc valde inarescit, sitis urget, acceleratusque fit spiritus, rubescit vultus et aliquantulum tumet. Hac in morbi specie, corporis temperies, gradum tertium centesimum FAHRENHETIANUM vix ac ne vix quidem transit. Die morbi fere secundo aut tertio, cutis circa faciem, primo, deinde circa corporis suprema, rubore efflorescit. Color vividus, astaco elixo haud absimilis tandem sese ubique corporis diffundit, idem

et per os, per fauces naresque quoque iter tendit, et in oculi tunica albuginea interdum fit visibilis. Papillae etiam linguae quae factae sunt haud parum longae, apices per crustam albam quâ tegitur, rubros trudent.* Saepe contingit, eruptione patefacta, multum ingravescere omnia signa, et aegrum et inquietudine, et sopore, et delirio laborare. In aliquibus vero exemplis, florido rubore diffuso plurimum mitescit febris.

Morbo ineunte, aeger aut de dolore leni, aut de faucium molestia, queritur; et utcunque mitis sit febris, hocce signum tam raro abest, ut reverà recenseatur ejus partem essentialem efficere. Arteriae nisi fortasse in iis citra duos annos natis, magnâque irritabilitate praeditis, sese, celerius, quam, centies aut centies et decies, parte horae sexagesima, haud saepe movent. Vox minus clara et sonora, quàm solita est. Lingua ferè semper in media albescit, et marginibus rubescit. Alvi dejectiones prae-

* Vide BATEMAN on Cutaneous Diseases, p. 71.

ter naturam paululum nigrescunt, atque urina et parca et turbida redditur.

Die quarto, aut quinto post eruptionem, abeunt febris signa, pulsus et tardior et mollior fit, et eodem tempore deflorescit cutis rubor, septimo prorsus evanescit; et hoc tempore exacto, cuticula quoque plus minusve desquamare incipit.

Talia sunt signa, quae, hac in morbi forma, frequentissime observantur.

Scarlatina Anginosa.—Simplici jam descriptae similis, in homines, solitis febris indicibus, sed multo vi majori semper urgentibus, impetum facit. Haud raro accidit, priusquam febris signa incipiunt, persentiri molestiam vel dolorem faucium, quae si hoc tempore inspiciantur, tum tumorem, tum ruborem plane manifestant. Neque hic loci obliviscendum est, ut muscoli circa collum et maxillam, et humerum quoque rigeant.

Morbo aggrediente, ferè semper adsunt anxietas, depressio circa praecordia magna, nausea, et rei biliosae vomitus; quibus ex rebus haud minimè caput dolet, et insigniter imminuitur movendi facultas. His, cutis arida et calor, qui capite praecipuè, corporisque trunco patescit, manibus et pedibus frequentèr, seriùs citiusve accedunt. Haud raro aeger cutis dolores exiguos pungentes tanquam acûs puncturas sentit. Rebus ita existentibus, calor ad gradum centesimum sextum vel octavum, imo vero, quibusdam in exemplis tristioribus, ad centesimum et decimum aut duodecimum, proprio instrumento rite applicato, temperieque et stabili et fixâ factâ, ascendit. Hic caloris gradus est maximus, in febribus nostrae regionis unquam observatus. Pulsus in universum, quam in Scarlatina simplice sunt celeriores; persaepe centies et quadragies, interdum celerius, saliunt. In quibusdam aegris plenus et fortis est pulsus; in aliis autem, dum purpurecant fauces et dum eadem maculis subfuscis obducantur motus cordis et

exilis et debilis sed eodem tempore durus quod periculum instare semper praedicat.

In Tonsillis, velo pendulo palati et uvula, quae partes prae omnibus inflammantur, plerumque erumpunt, crustae quam plurimae albae, sive maculae subnigrae quae per Febris decursum, ulcuscula evadunt. Internae etiam fauces mucro viscido obteguntur, quarum tumore incrementum, deglutitio et difficilior, et magis dolorifica redditur. Respiratio est curta, et involuntario suspirio interrupta. Halitus calidus labra quasi adurit. Sitis multo major, et aridior est lingua, cujus margines quam in Scarlatina simplice magis rubri fiunt. Nigriores faeces, foetidae, bili mistae dejiciuntur atque sub horam vespertinam, calor magis evadit adauctus, et molestia difficilior, quippe quae res, delirium secum haud raro afferunt.

Tertio die plerumque, eruptio sese maculae rubrae instar, atque inter premendum evanescens, patefacit, et faciem primum, deinde nasum et os frequentissime corripit, et paucis

horis, denique per cervicem, pectus, truncum, demum ubique corporis, quod, omni in parte, saepe aequaliter rubet, dispergitur. Hujus ruboris oculi plus minusve participes sunt, et quo vividiores evadunt eo plus proclivitas ad delirium valet. Tempus efflorescentiae autem in hoc, quam in aliis morbis exanthematicis magis est incertum. Si mitescant signa, fere eruptio in quartum sese offert; sin autem ingravescant, cutis, secundo, imo vero, primo die efflorescere incipit.

BATEMAN, qui de morbis cutaneis in medium protulit, efflorescentiam, minimè tam constanter per totam corporis superficiem quàm in specie simplice, sed maculis sparsis haud raro circa cubitos erumpentibus prodire, bene notavit. Hic loci memoriâ quoque tenendum sit, eruptionem interdum etiam post diem quo provenit, deflorescere; atque iterum, in certo tempore, partim redire. Morbus autem, his rebus rite actis, nullas mutationes respondentes nihilominus subit. Eruptio autem fere vel per duos vel per tres dies incur-

sum facit, atque tunc temporis pedem gradatim refert. Duratio ejus eodem modo ac accessio variat. Interdum usque ad quartum diem aut quintum manet, e contra autem citra horam vigesimam et quartam aegrum prorsus relinquit. Color subfuscus, vividum excipit, et cuticula fit aspera in exiguas squamulas abiens, et rebus faventibus, sanitas solita brevi redit.

In aliis autem exemplis, pro hoc eventu felici, signa gravissima ac periculosa oriuntur. Tonsillae et fauces, febre ingravescente, maculis cinereis, deglutitione et dolentissima et difficillima ita factâ, magis magisque sordescunt et intumescunt. Humor quoque ex iisdem aequè ac naribus evadit qui partes vicinas erodit. Indurescunt circa collum glandulae. Tenesmus et diarrhoea haud raro aegrum torquent, quae res, tum de irritabilitate, tum de secretionibus sordidis me judice pendere videntur.*

* Vide "ARMSTRONG on Scarlatina," p. 10.

Faucium vitium, in quibusdam, in gulam, usque ad ventriculum, proclivitate ad vomendum comitante, praecipuè si quid devoretur, descendere videtur. In aliis, ad pulmones per tracheam deorsum serpit, quippe quae res, tum per tussim, tum per respirationem arctam, tum per alia signa peripneumonica nemini latet. Hocce vitium denique per tubum Eustachianum transit, et per auris dolorem sese manifestum reddit.*

Eruptio ni fallor cum faucium conditione plurimum consentire videtur. Exinde fit ut si illa totum corpus aequaliter invadat hae maximè, et vice versa, ulceribus laborant. E contra autem, si leniter sint affectae fauces cutis rubor fit magis generalis. Et hic loci observatione dignum est, anasarcam curatu difficillimam, nec non hydropem quibusdam in cavis saepius supervenire, et reddere aegros miseriores plurimùm pollere.

* Vide " WITHERING on Scarlet Fever and Sore Throat," p. 13.

Cynanche Maligna, non modo violentissima et maximè lethalis, sed feliciter quoque morbi forma infrequentissima, plurimis Scarlatinae anginosae communibus gaudet. Febris comitans magis ad Typhum quam Synocham spectat; atque adventum ejus per horrores indicat. Tunc temporis maximè infestant animus depressus, vertigo, vomitus, et insignis universalis oppressio. Vultus praesertim est dejectus, moestus, et admodum anxius. Sensus et frigoris et caloris aegrum invicem corripit, donec febris manifeste prodeat. Calor praeter naturam auctus, vix ac ne vix quidem fit tolerandus, et saepissime maximus est cerebrum versus sanguinis impetus, qui oculorum ruborem, lucis intolerantiam, capitis dolorem pulsatilem, vigiliam, deliriumque inducit.

Paucis horis post accessionem morbi, et nonnunquam sub ejus impetum, percipiuntur et tumor et dolor faucium, quae nunc rubore florido, saepe in aliis partibus, ac in aliis, magis rubescunt. In quibusdam hoc morbo affectis glandulae et parotideae et maxillares intument,

adeo ut ab initio etiam spiritum impedian, et necem interdum minitentur. Maculae, quae in faucibus, tonsillis, necnon in uvula inflammatis, tam subito in conspectum veniunt, primo albescunt, dein aspectum cinereum, demum subfuscum aut nigrum induunt. Partes subjacentes, crustis remotis, ulceribus altis obducuntur. In multis aegris, inquit Doctor ARMSTRONG, morbus prius fit lethalis, quam fauces tales mutationes subeunt. Hae exulcerationes malae, aequae ac acris materies, ex iis fontibus fluens, nisi febris ad diem quartum commoretur, vix ac ne vix quidem oriuntur. Dolorifica est deglutitio et arcta, collum magis tumidum et caput retrorsum inclinatur. Multis in exemplis quoque mirum est haec ulcera minimum inducere dolorem; minorem quidem quam ex faucibus leniter inflammatis sentitur. Neque semper ita difficilis est facultas devo-
randi, ratione ad gutturis conditionem rite et arctè habitâ ut primo concipi potuit*.

* Vide "HEBERDEN's Commentaries," page 24.

Acris fluxus e naribus, ulcuscula aut rimas imo vero vesiculas circa nasum et labia, persaepe infert. Fluidum emissum primo tenue, postea crassum est, et flavum. Lingua plerumque ad medium albescit, ad basin admodum sordida, et crassa obducitur crusta, flava aut subnigra. Halitus nunc olet pessime; et in quibusdam, nonnunquam etiam aegris ipsis, vix ac ne vix quidem fit tolerabilis. Laboriosa quoque fit respiratio, cum tussi clangosa, quasi e spiritûs defectu moriturus est aeger; quippe quae res, me iudice, e muco viscido fauces infarciendo videtur pendere. Vox valdè rauca est et vacua, sonum ex ulcere venereo prorsus referens. Hic adeo peculiaris, ut quisque in morbo minime versatus eandem facile dignoscere queat*.

Alvus, morbo ineunte, plerumque astringitur, sed eodem progrediente signum maximè commune, alvi est fluxus, quippe quae res vi

* Vide "HUXHAM on Ulcerous Sore Throat," page 279.

tantopere urget, et languorem et debilitatem, cursu citato augere tendit.

Vespere appropinquante eodem modo ac in Scarlatina anginosa febris haud parum ardet, et isthuc temporis multum delirii adest. Die secundo aut tertio, rubore haud minime efflorescit corpus, rarissime autem vultus, qui pallidus manet, et moestissimus. Eruptioni nil coloris insoliti plerumque est, nisi, inter morbi cursum nonnunquam laute vividior. Raro citra unum diem, rariùs vero ultra quartum durat. In aliquibus exemplis, multo longior in universum est sua duratio, quippe quae, efflorescentia evanescente et redeunte, maxime infausta habetur. In aliis autem colore aut fusco aut livido gaudet, dum omnia signa ingravescant aut ad pejus ruant, vita in summo discrimine versatur, praecipue si purpurescant aut nigrescant maculae, quibus haud raro superveniunt convulsiones, quae aegrum ex aerumnis eripiunt.

Excitationis autem statum persaepe exci-

piunt, debilitas magna et signa maligna. Calor nempe nunc imminuitur, viresque totius corporis exhauriuntur. Pulsus fit debilior et velocior. Cutis magis laxata nec non lingua magis sordida. Multo plus laboriosa respiratio; et aegri vel convulsionibus vel vomitui vel spiritûs dejectui secundum organum praecipue affectum, succumbunt.

Quamvis in morbi statu provecto valde urget debilitas, tamen ab initio inflammationis signa, quam affectionis faucium, pulsûs natura aequae ac oculorum rubor luculenter docent, incubant atque maximâ vi pollent. Hoc in statu recensenda est debilitas ut excitationis nimiae effectus, et una, invicem, vi alterius, congruit.

DE CAUSIS.

OMNIBUS convenit Scarlatinae causam sui generis esse contagium. Homines huic viro obiecti, citius quam in Rubeola aut Variola vincuntur, et tertio nempe, vel quinto die corripiuntur. De causa praedisponente nihil certi compertum est. Neque sexus, neque aetas ejus viribus sunt immunes. Sed impuberes quam adultos et laxos et debiles quam robustos, nec non foeminas quam mares magis obnoxios esse nemini latet. Scarlatina omni anni tempestate aggreditur, saepius autem sub autumni finem vel hiemis initium epidemice saeviens, impetum facit.

Hunc morbum haudquaquam eundem hominem iterum afficere pro certo habetur. Sed *HEBERDEN* nos certiores, quosdam quamvis, paucissimos Scarlatina iterum, et fortasse iterum laborare, facit.

DE DIAGNOSI.

SCARLATINAM, sub formis ejus diversis, dignoscere ab aliis exanthematis haud difficile erit, si ad id animus rite daretur. Plerique tamen Scriptorum antiquorum Scarlatinam esse Rubeolae varietatem judicârunt. Ab initio rubeolae, tussis, e naribus fluxus, illacrymatio, tumidae palpebrae infestant, et signa sunt valde communia, sed rarius si unquam Scarlatinam sequuntur. Scarlatina quoque progrediente, tussis interdum, vero nequaquam violenta et nunquam non brevi desinens, oritur. Rubeolæ autem peculiare est signum, et non modo inter eruptionem, sed longum, postea plerumque durat. In Scarlatina quoque cutis eruptio generaliter ante diem tertium, interdum multo maturius apparet. In Rubeola vero, vix ac ne vix quidem ante quartum unquam se ostendit, atque circa frontem exiguis erumpit papulis, quippe quae primo fere nun-

quam non distinctae, sed hic et illuc, tum numero tum magnitudine crescentes, passim in maculas vertuntur, paululum elatas, adeo ut digitis transeuntibus, asperitatis sensum impertiunt. Hic loci subjicere fas sit, ut hae maculae, magnis cuticulae portionibus interserentibus, nec non naturali ejus colore gaudentibus, rarius coeunt. Porro Scarlatinae eruptio, multo fit saturior et sparsa, atque sub cuticula e quam plurimis maculis parvis, cum papulis minimis intermixtis, et plerumque in ruborem fere totius corporis aequalem, coalescentibus, constat. Color eruptionis quoque, quam in Rubeola, lautè fit vividior.

In quibusdam exemplis sed paucissimis Cynanchen Malignam, a Cynanche tonsillari discernere haud nostrum est. In illâ et tonsillae et fauces interdum, haud parum intumescunt, rarius tamen in hac minus laeduntur. Magna autem debilitas, nec non eruptio florida, et prae omnibus ejus origo a contagio, Cynanchen Malignam, ab aliis gutturiis vitiis, nunquam non distinguunt.

DE PROGNOSI.

UT Scarlatinae simplicis, signa generaliter mitia sunt, ita faustum eventum fere semper expectare licet. Sed in aliis duabus varietatibus, res sese longè aliter habent. Signa enim valde urgentia et periculosa, quae nec reprimi nec vinci facile possunt, oriuntur. Rebus ita sese habentibus, talibus in exemplis, prognosin caute faciamus, procul dubio oportet.

Cum leniter erumpant sudores, et ardens rubor minuat cui subfuscus color accedit, cuticula in exiguas squamulas abeunte, cum detumescant fauces et inflammatio decrescat, cum et tardior et mollior fit pulsus sitisque atque alia minus urgeant tunc feliciter sperandum est.

Sin autem ab initio signa febris maximè augescant, cutis valde calescat atque arescat, tum

delirio, tum sopore superveniente, pulsu admodum frequenti et exili, si fauces internae purpurescant, atque nigrescant, et facilis sit deglutitio, fere nullo dolore comitante, haud parum difficilis respiratio sine multo gutturis tumore, et si in tracheam, inflammationem serpsisse credamus, vita ipsa tunc temporis summo in periculo haud dubie versatur.

Porro ubi magna est debilitas cum Diarrhoea torquente, et eodem tempore, conspiciuntur tum petechiae cum vibices, et cum carnis et cutis portiones gangraenâ affectae excreantur, haud dubitandum quin brevi conclamatum fuerit.

DE CURATIONE.

QUAMVIS SYDENHAMUS celeberrimus dixerit, nunquam lethalem esse Scarlatinam simplicem nisi “a nimia medici diligentia,” tamen omnis est medicinam facientis, morbi progressum, etiam sub forma ejus mitissima, sedulo observare. Subindè enim contingit quamvis rariùs, signa minimè benigna oriri multo infelicius desinentia quam ab initio suspicari potuit. Imprimis semper refrigeratum teneatur oportet aegri cubiculum, in quo liber sit aëris puri accessus atque omnia irritantia cautissimè evitanda. Et si cutis nimium calescat, ablutionem frequenter adhibere cum aqua frigida perutile est. Diaeta eodem tempore lenis, nec non concoctû facilis, potus frigidi et acidulosi administrari debent. Alvus modice laxa teneatur quoque oportet.

Quam Scarlatina anginosa et Cynanche maligna semper sibi rationem medendi prompti-

orem vindicent, singula remedia, effectus optimos inferentia in animo est describere.

Emetica.—Haec, ab initio Scarlatinae, ut eandem e vestigio arriperent medici diù administrare solebant; sed votis eorum benignis, minus quam sperandum erat, responsum est. Emeticorum usus nihilominus signa sequentia multo mitiora reddit, et inter morbi decursum, fauces e viscido muco, easdem, satis superque infarciendo, purgare inservit. In hisce remediis utendis, praecipuè in excitationis statu, quo cerebrum versus subest sanguinis impetus, aut sub morbi finem, cum aegri vires exhaeriantur, et nimis debilis vis vitae reddatur, quo minus concussio, horum medicaminum operationem comitans, sustineatur, Medicis sedulo cavendum est. Tartras Antimonii solus, aut cum Ipecacuanhae pulvere compositus, ad hanc indicationem efficiendam plurimum pollet.

Detractio Sanguinis.—Hujusce usus omni in stadio Scarlatinae a Scriptoribus medicis magnopere reprehenditur, jacturam sanguinis

et debilitatem et languorem, res maximè timendas semper augere; atque sanguinem abstractum, quamvis tunicam coriaceam indicantem, in iis etiam phlogistica diathesi gaudentibus, nil prodesse fertur. Quinetiam magnus oculorum rubor, nec non delirium, hirudines ad tempora videntur postulare, nihilominus ex hisce rite et sedulo applicatis, parum boni affirmatur oriri.

E contrario autem, multi sunt, qui hac ratione medendi, in omni ferè Scarlatinae stadio, praecipue si quid viscerum aut inflammatione aut sanguinis congestione afficiatur, utuntur. Hac de re non referre non possumus ad Doctoris ARMSTRONG auctoritatem, qui his verbis idonèe utitur. “Visceral inflammation
“has almost invariably a natural tendency to
“terminate mortally. Depletion produces debility only, and debility alone is rarely the
“cause of death in fevers.” Sectiones miserrorum qui hoc malo laborârunt, tum inflammationes, tum congestiones multorum maximi momenti viscerum, pollere, plane demon-

strant, et si sanguinis missio, rebus ita existentibus, tempestivè adhiberetur, mortem subitam, forsitan haud coacti essemus lugere. Quum profundus adsit capitis dolor pulsatis, arteriae temporales vi maxima micent, oculi rubore suffusi, durus et frequens pulsus, et corpus pungenti dolore ubique calescat atque arescat; aut si pectus maximè doleat, cum tussi, respirationeque difficili, nemini sit dubium quin sanguis illico mittatur. Hirudines quoque inflammationem gutturis, multum sublevant; atque hae, et ritè et opportunè applicatae, debilitatem multo minùs, haud dubie promovent, quam generalis detractio.

Affusio Frigida.—Ob hocce remedium, quippe quod non modo ad Scarlatinam, sed ad multas quoque alias Febres curandas, valet, Doctori CURRIE valdè sumus devincti. Nulla fortassis inventio hodierna, tam frequenter aegris utilitate fuit, praesertim si regulae, istius celebris medici, ritè et arcte observentur. Quandocunque, corporis calor supra suam temperiem naturalem firmus est, atque cum

desunt signa, quae aut cerebri aut aliorum viscerum congestionem indicant hocce remedium opus est praescribere. Si res ita sese habeant, et si in caput et corpus totum, quatuor aut quinque congios aquae frigidae subito effundamus, illico ardens calor, capitis dolor, aliaque signa urgentia aufugiant, obrepatque serena quies, oportet. Sed una affusionis frigidae applicatione, febrem e vestigio sistere, vix ac ne vix quidem, nobis in manibus est; fortassis, haec res frequenter adhibeatur, oportet, ut voti compotes simus. Quum autem vel in dubio versemur, vel quum aut aeger aut amici, huic rationi medendi obviàm eunt, tunc vel ad tepidam affusionem vel ad lavationem cum aqua pura aut acido acetico mista, confugere licet.

Purgantia.—De his illustris Dr HAMILTON, medicos, et quatenus tuto adhibeantur, quique fructus ex iisdem capiantur luculenter docuit. Nulli morbo, quam huic, de qua nunc agitur, magis prosunt; aut consilio medici melius respondent. Quippe ab initio

plerumque astricta est alvus et faeces colore aut nigro aut plumbeo dejiciuntur. Haec conditio functiones Hepatis multum impediri planè docet et profecto sanitas fere semper gradatim redit, si reddantur naturales. Hinc consilio Submurias Hydrargyri prae omnibus inservit; atque actio ejus in intestina, pulvere jalapae composito, aut sennae infuso haud dubiè promoveatur. Proclivitatem ad oedema, quibusdam in exemplis supervenientem per lenia laxantia identidem adhibita ferè semper remove in manibus est.

Epispastica.—Si haec, vel ad fauces vel collum, cum difficilis sit spiritus adhibeantur, haud parum levaminis saepissimè nascitur. In quibusdam, nihilominùs, cum caput dolore maxime laboret, et cum multum delirii adsit, irritationem aegri augendo, haud raro plurimum laedunt. In Cynanche maligna valde sunt incerta; et parum nisi ab initio prosunt. Partes enim exulceratae saepius evadunt gangraenosae.

Gargarismata.—Haec in Cynanche maligna praecipue indicantur. His enim abluitur circa fauces et tonsillas materia acris, quae si adhaerere permittatur ad vitium augendum conducit et ansam gangraenae dat. Haec res acris, si devoretur, tum oppressionem, tum diarrhoeam assolet provocare. Ob hanc igitur causam, multis persuadetur, infantes tam plurimos, magna ex parte, quia secretionem faucium morbidam devorant, mortem obire.

Tonica et Stimulantia.—Magna debilitas quae statum excitationis in febre sequitur, non modo timenda sit, sed etiam, ne aeger animam efflet summam curam haud dubie sibi vindicat. Cinchona igitur et vinum, opium et alia, ut res sese ostendant, adhibita aegroto sine mora auxilio veniunt. Acidum quoque Oxymuriaticum in Scarlatina curanda laudibus magnis elatum est.

Prophylaxis.—Quum primum morbus in quempiam impetum fecerit, affectus, illico a sanis integrisque amoveatur, oportet. Tum

mundities, tum ventilatio summam curam sibi vindicant; et inservientibus, ne halitum aegri inhalescant (nam hancce rem ansam morbo praebere, n^omini latet) cautum est. Ad vires contagii diruendas, ad fumos ex Manganesio, Sodae Muriate, et Acido Sulphurico mistis, orientes, confugere licet. Fumi Acidi Nitrosi eidem usui inserviunt, atque hi ex Potassae Nitrate, et paululo Sulphurici Acidi conjunctis, facile eliciantur.

FINIS.

inundatis, tum ventibus symphoniam canentibus
 sibi vindicant; et insensibiliter, ne pallidum
 seget insalubrem (nam tunc non tantum non
 po. parces, sicuti late) cadunt est. Ad vi-
 tes contagii diuturnas, ad fures et flagrantem
 eis, sicuti Alutis, et Acidis Sulphuribus, eis
 la. orientes, confutur. Item. Tunc Acidis
 Nitrosi videtur non insensibiliter, atque hi ex fo-
 tione Nitro, et paulo Sulphuribus Acidis
 conjunctis, facile eliciuntur.

FINIS.



